



# Disputatio medica inauguralis de paralyssi metallariorum

<https://hdl.handle.net/1874/345228>

26.

I. N. I.  
DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
PARALYSI METAL-  
LARIORUM.

QUAM,  
AUSPICE DEO TRINUNO  
*Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*  
M. JOHANNIS LEUSDEN,

Philosophiæ Doctoris, & Linguae Sanctæ in Illustri  
Academia Ultrajectina Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Nobilissima  
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,  
Summisque in MEDICINA Honoribus, Prærogativis &  
Privilegiis, ritè & legitimè consequendis,

*Publico examini subjicit*

THOMAS FRIDERICUS SUCHLAND, CLAUSTHALENSIS.  
*Ad diem XVIII. AUGUSTI, hora semi-undecima præcisè.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clō lōc xciii.







DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
PARALYSI METAL-  
LARIORUM.

§. I.



Ubi de Paralyfi metallariorum tractationem au-  
spicor, exponenda inscriptionis ratio primo  
loco mihi est. Multi enim hunc ipsum af-  
fectum Paresin vocant, eò quod Colicam in  
operariis metallicis sæpe obviam sequi so-  
leat. Sciendum tamen, non semper id  
ipsum contingere, ut nostra Paralyfis do-  
lores ejusmodi quasi colicos insequatur, sed  
pessæpe absque præfente graviori quodam  
symptomate ingruere, atque morbum essentialem esse, id quod ex-  
perientia testatur. Nec etiam illum ipsum affectum metallariorum  
qui Colicæ speciem præ se fert, & cujus potissima ratio in inten-  
sissimis ventris torminibus consistit, absolutè semper eandem cum  
vulgari Colica esse, cum affectionis Iliacæ signa nonnunquam con-  
juncta habeat, & certum sit, Veteribus eum hoc nomine appella-  
tum fuisse, de quo vide *Dioscorid. L. vi. c. 27.* Unde quando Co-  
licam non insequitur, Paresis appellari nequit, cum in Foro Me-



dico obtinuerit, ut tantum illa nervorum resolutio, quæ à doloribus Colicis originem ducit, Parefis vocetur. Quanquam si quod res est, fatear, exigui momenti hæc distinctio videatur. Cum enim Πάρεσις vi vocis remissionem significet (oritur enim a παείνω remitto) indigitatque nihil aliud nisi statum nervorum præter naturalem, in quo molliores laxioresque redduntur, ut ad sensum & motum aliquo modo fiant inepti; Et Paralysis (à παραλύω dissolvo derivata) resolutionem notet, patet hos affectus non nisi gradu seu secundum minus & majus differre, siquidem vocum propria significatio locum habere debet, adeoque imperfectam Paralyfin dici posse Parefin, sive ea per se, sive ex Colica orta fuerit, unde nec admodum curiosus ero in discernendis illis vocibus, sed ad explicandum nostrum affectum iis serè promiscueutar.

## §. I I.

Sed missa de vocibus disceptatione, ipsam rem aggrediar, ubi prius monitum fuerit, non quamvis Paralyfin, sed ut Dissertationis titulus habet, eam hic tractandam esse, quæ a fumi & exhalationum metallicarum intra corpus receptione, originem ducit. Ea quando cum doloribus illis atrocibus intestinorum est conjuncta, quod sæpe fieri solet, Germanico vocabulo *die Hüftenkatze* dicitur, seu quod membra solvendo tremulum felium gressum ægros imitari cogat, seu quod ipse ventris dolor quandoque conjunctus, vivæ felis intestina dilacerantis more se habeat, seu denique, quod agri præ dolore, rabiosæ felis circumgyrationem imitentur. Quando vero cessantibus doloribus remanet Paralysis, & ægris non tam ob aliquem dolorem, quam movendi impotentiam molesta est, supra nominato Germanico vocabulo non indigitatur, sed potius *eine Lähmung* dicitur.

## §. I I I.

Paralysis ergo Metallariorum est resolutio (aliquando solum remissio) nervorum, quæ sæpe a pertinacissima alvi obstructione ex vaporum metallicorum haustione ortum trabente, dependet, aliquando etiam sine ea ingruit, partium externarum v.g. manuum, pedum &c. motum voluntarium & quandoque sensum tollens, magnorum sæpe cruciatuum effectus & causa.



De resolutionis & remissionis vocabulis dictum jam antea est; Ab alvi obstructione & doloribus colicis (atque tunc paresis vocari potest) quandoque vero & absque iis ingruit. Causa Tragediæ fumi metallici sunt, quia de Paralyfi non aliorum sed tantum Metallariorum hic sermo est. Motum partium externarum abolet, unde colligitur, non alium facile nisi motum voluntarium in hac nostra Paralyfi lædi. Cum enim triplex in Machina nostra Hydraulico-Pneumatica motus rectè statuatur (I) Involuntarius, aliàs naturalis dictus, qui a mera Mechanica partium structura dependet, & universo sanguini, Cordi, Pulmonibus, Diaphragmati, &c. proprius est. (II.) Voluntarius seu animalis, arbitrio nostro subjectus, pro ejusque imperio intendi atque remitti aptus. Et (III.) Mixtus inter utrumque priorem medius, qui pro libitu nostro ad tempus retardari & promoveri potest. v. g. Respiratio. quo de vide Excell. Bohni Circul. Anat. Phys. & Clarissimi Dn. D. Bergeri Præceptoris atque Favoris colendi Colleg. Physiolog. p. m. 40. de quibus etiam legi meretur Steno in Specim. Atolog.

§. V.

Ex triplici hoc motu, qui in corpore nostro reperitur, non alium hoc loco intelligimus, quàm merè voluntarium, qui in specie manibus & pedibus competit, afficiuntur tamen præter manus & pedes aliæ quoque partes earundemque motus labefactatur aut aboletur; v. g. Scapularum, &c. Sensus verò non semper imo raro disperit, cum enim exigua spirituum animalium quantitas ad sensum requiratur, respectu, ejus copix, quam motus voluntarius sibi deposcit, potest omninò abolito motu sensus nihilominus persistere. Quanquam negandum non sit, influxu spirituum animalium plane in nervos impedito & sensum tolli. Quod vero sensus ut plurimum vigeat, argumento sunt dolores acutissimi pertinaciter quandoque parti inhaerentes, qui circa tempestatum mutationes, articulos ita invadere solent, ut ferè intolerabiles evadant. A spirituum animalium influxu prohibito ceu causa proxima, Paralyfin dependere probandum posthac erit.

§. VI.

Antequam ad symptomatum recensionem gradum promoveam.



examinanda aliqua non plane nullius momenti sunt. Et primo quidem, quid habendum de illa quorundam opinione, qui ejusmodi affectum quem hoc loco tractamus, ad Arthritidem referunt, ut & ad Contracturas. Cum negare non possim in metallorum separatoribus nostris hanc vel Paresin vel Paralytin non raro arthritidis faciem præse ferre, quæ tandem in contracturas desinit. Ubi quidem exclusâ alia Paresi, hanc quæ metallurgis propria est, sæpe non multum ab arthritide differre, & vel in eam abire vel etiam cum ea mixtam esse certum est. Præterquam enim quod dolores arthritidis simillimos hi ægri perferant, multa quoque alia cum arthritide communia habent, v. g. quod tempore pluvioso dolor exacerbetur, it. quod tophis nodisque articuli deturpentur, ut & quod dolor in articulis quàm reliqua membri parte major sit &c. Item quod in contracturas incidant & demum aliquando perinde ac arthritici confirmati à cruciatibus ferè immunes evadant. Porro considerandum est, an non paralytis absque præcedente Colico dolore ægros affligat, eodem modo se habens ac Paresis ex Colica adeoque & ab ea nihil differens, id quod sanè negari non potest. Ut hinc evidentissimum sit non opus esse ut verbotenus multarum vocum descriptionibus nos ita adstringamus, quasi religio sit ab iis recedere.

§. VII.

Symptomata in *antecedentia*, *concomitantia* & *consequentia* melioris ordinis gratia distinguenda veniunt. *Antecedentia* illa præcipuè sunt, quæ juncta simul, Germanice *die Huttenkatze* nuncupantur. Sunt vero ea in principio vomendi quidam conatus, cum punctura vaga infimi ventris & angustia præcordiorum, quam gravis interdum cardialgia cum vomitu fortiori & ventriculi subversione dolorifica sequitur: Omnibus verò maximè molesti sunt exquisitissimi infimi ventris dolores, qui ægros adeo sæpe inquietos reddunt, ut in actionibus suis minime sibi constantes, mente quasi laborare cogantur. Adest etiam illico vehemens & pertinacissima alvi constipatio, quæ flatuum & excrementorum viam omnem intercludit, & quâ ægri præ aliis quibusvis symptomatibus maximè torquentur. His gravibus cruciatibus non possunt non quandoque & animi deliquia supervenire. Multi inspeciem optimè sani ex abrupto convulsionibus gravissimis tentantur, mente simul in stuporem acta, ut ratione ad tempus uti nequeant. Illud admiratione dignum est, ægros aliquan-



aliquando per plures, v. g. x. xii. xvi. dies alvopertinaciter obstructa laborare sine ullo notabilis doloris sensu, cum molestia saltem inflati & infarcti abdominis, supervenit tamen dolor ut plurimum, qui quo tardior eo gravior esse solet. Observatum quoque est spirituum animalium & sanguinis mixturam, quandoque turbari & motum eorum perverti, indeque varias febres excitari. Accedit quod intestinorum inflammatio, quanquam rarius, superveniat, cujus, si ad suppurationem deducta sit, indicium materia purulenta per alvum excreta habetur. Urina nonnunquam sed raro egressu prohibetur. Ubi ipsa Paralysis jam praeoribus est, doloribus artuum acutissimis, qualibus arthritici laborare solent, aegri cruciantur, qui etiam *symptomatum morbum concomitantium loco* saepe sunt. Laborant quoque convulsionibus non raro, quibus tandem ipsa Paralysis seu resolutio partium aliquando totalis, aliquando solum partialis in totalem tamen facile prolapsa, succedit. Atque ex hinc oriuntur (ut pote *symptomata consequentia*) stupor partium, ineptitudo ad motum & quandoque sensum, ac ipsa demum contractura. Non desunt in quibus atrophia quaedam & cachexia observantur, cum colore faciei lurido & plumbeo. Morbus in quibusdam in Apoplexiam vel Epilepsiam terminatur, morte plerumque sequente. Nodi quoque & tophi arthritici similes, ubi articulos miserorum occupare indicio sunt, eos a vitae termino non ita procul abesse. vid. *Stokhvisius Tractatus de hoc affectu conscripto pag. 10 et seqq.*

## §. VIII.

SUBJECTUM morbi principale sunt nervi cum suis propagibus, fibris nempe nerveis & in iis contentis spiritibus animalibus. Quia vero nervi in carnem partium terminantur & ossibus quoque vasisque inferuntur, tota pars seu membrum affectum subjecti secundarii vicem subire potest. Quando vero universalis Paralysis insequitur, id quod contingere supra dictum est, cerebrum quoque ipsum ejusque in specie medullaris pars, eo imprimis in loco ubi nervorum exortus est & consequenter motus principium, pro subiecto merito venditur. *Willisius Tractat. de Anima Brutorum* ejus loco corpora striata substituit, eaque vult esse motus principia primaeque sensoria *P. II. Cap. ix.* quod quamdiu Autopsia ratiocinationes circa functiones partium in Machina humana institutas non confirmaverit, incertum dubiumque manet.

## §. IX.



## §. IX.

De nervis verò affectis uti dubium non est, ita è contrario disputatur, per quas vias ab intestinis ad partes materia morbifica transferatur, quando à Colica Paresis oritur, & an semper stutuendum, materiam in Paresi ab intestinis ad partes eorumque nervos ferri. Ubi quidem ante omnia illud notandum, sedem causæ morbificæ in affectu colico non tam intestina quam Mesenterium esse, uti egregiè celeberrimus Willisius demonstrat de Anima Brutorum P. II. C. XV. rationes probantes ibidem videri possunt, quas brevitatis gratia, omitto. Quo supposito, haud difficulter concipi potest, materiam morbificam seu ea in spiritibus animalibus seu in lymphæ quadam subtiliori per nervos ambulante, hæreat, ex mesenterii plexibus nerveis in corporis partes diversas propagari posse, & ibidem non tantùm dolores & motus convulsivos, sed etiam Paralyfin ipsam excitare. Nervi enim Mesenterii non tantum cum intestinis stomacho, jecore aliisque visceribus communicant, sed etiam cum lumborum aliarumque partium nervis & consequenter cum artuum. Accedit quod uti aliorum humorum nobiliorum ita & spirituum animalium subtilissimarum sanguinis partium, *vid. Vieussens Neurograph. L. I. Cap. xv. & xviii.* & lymphæ subtilioris per nervos circulatio omninò admittenda sit, quâ positâ, materia morbifica ex mesenterii nervis non potest non toto nervoso systemati, in specie artuum nervis mediante spinali medulla communicari & in iis cum tempore colligi ac proinde dolores & convulsiones. & Paresin inducere.

## §. X.

Quod alterum attinet, non necessarium esse puto, ut semper admodum solliciti simus in indaganda humorum in nervosum genus translatione, cum rationi dissentaneum non videatur, per nudam irritationem nervorum, sed eam continuam, nonnunquam Paralyfin induci posse, quatenus nervi diuturna illa motus perversi impressione ita debilitantur, ut tonum suum penitus amittant. Certum vero est irritationem sæpe in nuda nervorum fibrarumque nervearum pulsatione, absque humoris alicujus & materiæ peccantis communicatione consistere.

## §. XI.

Nunc ad CAUSAS deveniendum, & primo de causa proxima dicendum



dicendum aliquid est, considerari ea debet respectu symptomatum in hoc morbo maximè conspicuorum, quæ præsentè Paralyſi sunt motus partium imminutus cum dolore aliquando gravissimo. Adeoque causam eam quæ aliàs allegari solet privativam, influxum nempe spirituum animalium impeditam pro exponendo negotio non sufficere perspicuum est, sed præterea positiva quædam in censum vocanda, quæ dolorem in hac Paralyſi tantum non semper obvium producat. Excipiendus tamen ille casus est, in quo partium sensus aboletur, quod paulo rarius fit. Sufficit enim hic influxum spirituum animalium in nervos prohibitus pro ejusmodi Paralyſi excitanda. Vel dicendum, quod etiam si positivi quidpiam adsit humor nempe acido-acris rosivus, qui fibras partis vellicando dolorem aliàs excitare solet, ob totalem influxus spirituum sublationem, hanc ipsam vellicationem doloris causam immediatam percipi non posse, & reliquis spiritibus ad excitandam in cerebro doloris perceptionem communicari. Aliàs, ubi motus partium imminutus vel sublatus cum dolore junctus est, statuendum omninò videtur, præter spirituum animalium influxum imminutum vel prohibitum motus sublatis causam proximam, adesse quoque irritationem ac vellicationem nervorum & fibrarum a præsentè humore acido-acri, Salino, Mercuriali, Vitriolico, Arsenicali similive ortam, qui lege circulationis spirituum & humoris nervei supra indigitatæ, postquam intra corpus per os & nares sumptus est, nervis illabi ibique sedem figere, & cum tempore aggestus, hanc Tragædiam ludere omninò aptus natus est.

## §. XII.

*Cause mediate proximioris* loco id reponendum necessariò erit, quicquid tum influxum spirituum impeditum, tum dolorem etiam nonnunquam conjunctum, illic ubi præsens est, post se relinquere solet. Quò allegandum canaliculorum nerveorum vitium, seu id subsidentia spontanea fit, à debilitate ortum trahens, sive etiam compressio atque coarctatio ab extra, humoribus nimirum aut aliis rebus præternaturalem in corpore statum gignentibus, induta. Fieri enim aliter non potest, quàm ut immutatis nervorum poris, spiritibus animalibus itus fluxusque liber vel in totum vel minimum ex parte intercludatur. Nec excludi posse hinc videntur, tum lymphæ nervos irrigare solita tum ipse spiritus,

B

quo-



quorum uterque in nervis existens à variis causis procatartici depravari potest. Unde fit, ut si v. g. spiritus animales aut humor nervi nutritivus in coagulum abire occipiat, ut ipse alii spiritui & humori, sibi lege circulationis successuro viam obstruat, & sic causæ proximioris loco ponendus sit. Excitat verò idem ipse tum spiritus animalis tum humor nutritivus in nervis dolorem, quatenus dispositionem quandam præternaturalem adeptus, acrimoniam Salinam aut aliam, non potest in nervo tanquam organo sensorio hospitari, quin præsentia suâ irritationem fibrarum molestam & sic in mente doloris sensum excitet.

## §. XIII.

A Causa mediata proximiori vix differt *materialis*. Ea enim vel ab intra nervos afficiendo, vel externè incumbendo, Tragœdiam ludit. Estque ut dictum antea, serum acidum, salum; stagnans, & humores coagulans, qui excrementitii, lenti & viscidi vel nervis se insinuant & spiritus figunt, eorumque morum poros obstruendo sufflaminant, vel externè incumbentes poros compressione immutant, ut ita spiritus cursu suo ordinario haud ritè fungi queant. Interdum Sulphur aliquod narcoticum accusari meretur quod spiritus opiatorum more figendo & inviscando malum inducit.

## §. XIV.

Nunc ad *causas remotas*. Ubi diversitas Paralyseos a doloribus Colicis ortæ & per se sine prægresso graviore malo ingruentis attendenda. Causæ etenim remotæ utrobique diverso modo se habent. In priori casu ipsi abdominis dolores, seu ad Colicam seu Iliacam passionem propius accedere videantur cum pertinacissima alvi obstructione causam remotam constituunt. Uti enim aliàs Paralyfin ea omnia inducere possunt, quæ spiritus animales imminuunt, deprimunt, dissipant, eorumque generationem & novam productionem impediunt, qualia plures morbi graviores sunt. e. g. febres longæ, Apoplexia, Epilepsia, Scorbutus, item suppressio excretionum consuetarum, Debilitas stomachi & *νευρωματωσ* Chyli impedita &c. Ita nostrum affectum, qui metallorum coctoribus peculiaris est, persæpe & tantum non semper ejusmodi cruciatus infirmi ventris, cum constipatione gravissima præcedere eique causam dare observamus. Jure tamen allegari etiam potest, quæ priori causæ ansam dat, laborum gravitas & magnitudo, quos metallarii nostri sustinere coguntur, unde spirituum ingens dissipatio, nervorum præterea tensiones fortes, & hinc debilitatio originem trahere facillè potest.

## §. XV. In



§. X V.  
 In posteriori vero casu, quem rarius contingere dictum, causæ remotæ accusandæ sunt, fumi & vapores metallici, à quibus etiam ipsa Colica affectus nostri mater oriri solet (de quo paulò post). Uti enim noto notius est Aurifabros, aliosque quibus Mercurii, Antimonij, Arsenici, & similibus tractatio frequens contingit, paralyfin ex his operationibus sibi procreare, itemque ab externo Mercurii usu in Lue Venerea vel scabie, si is intempestivus vel nimius sit, resolutionem artuum persæpe relinqui, adeo ut membra quandoque, ejusmodi curam passis admotum fiant inepta flaccidaque & quasi mortua de corpore pendeant: Ita nec impossibile est, imo multorum ægrorum misera conditio nos docet, fumos metallicos, quibus operarii nostri ut plurimum circumdati esse solent, tumore & naribus haustos, tum per spiracula cutis intromissos (quod eo facilius fieri potest, quo magis homines illi perpetim magno ignis calori expositi sunt) & sic diversa ratione & spiritibus animalibus in pulmonibus mistos sicque ad nervos delatos, & ab extra in nervos perpetuo incubitu sese insinuantes, nervosum systema obstruere, suffarcire, peregrinis particulis inquinare, & hoc modo spirituum motum inhibere, eos figere tandemque resolutionem totalem & sic perfectam paralyfin inducere.

§. X V I.  
 Quia vero ut plurimum contingit, ut particulae metallicæ præsertim plumbariæ, magnâ quantitate in os admissæ in Canalem alimentorum, ventriculum & ei adhærentia intestina & Mesenterium gravitate sua se insinuent, & illic tum Sale stiptico Vitriolaceo, tum terrestritate copiosa insigniter in frigidante &c. fibras intestinorum in motu peristaltico naturali impediunt, excrementorum egressum prohibeant, & obstinationes, humiditatem intestinorum citra morsum exsiccando absumendove, præterea oscula vasorum lacteorum ocludendo, inducant; Quo facit experimentum *Hoffmanni* *Traſat. de acido & viscido* p. 63. momentum Plumbi quotidie canibus junioribus cum cibo datum non sinere fieri magnos, nutritionem nempe impediendo & membranas constringendo. Vid. etiam *Stifferus* de Febr. intermitt. p. 28. Fit postmodum, ut, perinde ac à Colica ventrisque torminibus & obstructione ab alia Causa, Paralyfis sæpe oriatur, ita quoque Metallorum separatoribus nostris



ea super veniat, efficiatque, ut miseri membrorum suorum amplius usum exiguum aut nullum ferè possideant.

## §. XVII.

Ad causas re motas quoque pertinent errores in Dieta quos Metallurgi nostri assatim committunt, crebrior nempe & fere continua potus ingurgitatio, à qua sibi ob calorem quem sustinent, temperare nequeunt, ciborum flatulentorum &c. usus, quæ omnia stomachum debilitant, coctionem lædunt, spiritus crassiores reddunt, dissipant, obstructions tum venarum lactearum tum vasorum sanguiferorum capillarium, tum denique ipsorum nervorum promouent, & sic ad malum vel procreandum vel augendum concurrunt. Vid. possunt Hæser. Herc. Med. lib. 111. c. v. Ephemer. Germ. D. II. An. III. p. 455.

## §. XVIII.

Diagnostica signa §. VII. recensita sunt, ut non opus sit ea hic repetere, ubi quoque de Prognosi aliquid monitum. De qua tamen amplius sciendum, Paralytin si ullam sane hanc quæ Metallarios exercet, malum chronicum & admodum rebelle esse, quod quidem non statim enecat, difficulter tamen curatur. In senibus spes convalescentiæ rarò quædam superest, quin si eos semelprehendat, comitari ad mortem usque solet, etiamsi molestiam nullam creet, præter, membra exteriora movendi impotentiam. Hyeme uti sæpius & gravès decumbunt ægri, ita difficilior etiam curatio succedit. In genere quo pejora symptomata Paralytin hanc antecedunt vel comitantur, eò gravior ipsa est & difficilior Medicinam patitur. Ea verò pessima omnium est, quæ a pertinacissimis alvi obstructionibus cum torminibus gravioribus oritur, & eò vel diuturnior & major, vel minor & brevior, quo major aut minor materiæ peccantis ad artuum nervos transmissæ quantitas existit, & quo magis vel minus nervi debilitati sunt. Quo firmior verò & carnosior, ac humore nutritio abundantior est corporis habitus eo facilius ad sanitatem ægri reduci possunt, macilenti vero & exarefacti ægerimè. Ut in omni Paralyti sic & in hac bonum est signum, si pars motu sensuque orbata tremere & aliquantum dolore incipiat, notat enim influxum spirituum animalium ex parte iterum redire. E contrario intestinorum inflammatio mortem tantum non semper indicat, & rarissimè cum suppuratione sanatur. Ciborum potus que



que per vomitum rejectio, utpote irritationis & debilitatis stomachi index, mala, perinde ac Cardialgia & animi deliquium. Asthma, Phthisis, Contracturæ, &c. cum Paralyfi juncta, vel exinde orta rarò curabilia.

## §. X I X.

CURATIO è triplici fonte, CHIRURGICO, PHARMACEUTICO & DIÆTETICO petenda est. Ex CHIRURGIA V. S. parum auxilii ægris nostris spondet, quia morbus nervorum & in iis contentorum spirituum, non sanguinis est: Nisi in metu inflammationis quis sanguinis motum præternaturalem & grumescentiam præcavere & hoc sine aliquam sanguinis portionem detrahere cupiat, quo casu consultius erit, ex inferioribus partibus, quam superioribus sanguinem evocare. Cucurbitulæ vix ullum habent usum, qui tamen spirituum in partem motu destitutam evocandorum gratia eorum moderatum usum, & magis siccarum quam cruentarum, adhibere velit, ei liberum esto. Reliqua Chirurgicorum remediorum genera adferre non est operæ pretium, quia usus eorum in hoc nostro affectu est exiguus.

## §. X X.

Ex PHARMACIA diversa remediorum genera pro morbi nostri medela accersenda veniunt. Et primo quidem *Catartica*. Ubi enim, quod sæpe fieri dictum est, obstructio alvi fortior cum Paralyfi juncta est vel eam progignit, necessarium omnino est, ut respectus hujus obstructionis habeatur, si Paralyfin feliciter tollere animus est. Imo certum est, per tempestivè sublatam alvi obstructionem præcavri paralyfin. Unde commodissime, si cum torminibus abdominis alvus fuerit obstructa curam ab evacuantibus auspicamur sed iis non fortibus & Drafticis, verum mitioribus, emollientibus, laxantibus & humectantibus. Qualia Clysteres merito judicantur, iique ex herbis v. g. V. Emollient. Rad. Althææ, Malvæ, Glycirrhiz. V. aperient. Flor. Chamom. Melilot. Verbasc. sem. Anisi, Fœniculi, Fœnuigr. Lini, Carvi, Bacc. Lauri, prun. dulc. &c. cum Aqua simplici vel quod melius, lacte, aut jure carnis vervec. aut pedum suillorum, decocti, additisque Colaturæ Elect. Lenitiv. Diacathol. Mell. rosat. &c. & exigua portione oleorum v. g. Chamæmeli, Rutæ, Verbasci &c. Præter Clysteres alvum blande subducentia in usum veniant, eaque potissimum in forma



liquidâ, solida enim remedia effectum speratum rarè edere solent. Si verò lenioribus nihil profeceris, ad fortiora gradus promovendus est, modo semper id observetur, ut humidum sufficiens pro vehiculo, junctum habeant, ne siccitas intestinorum aliàs efficaciam eorum impediât. Possunt v. g. decocta parari ex herbis emollientibus, additis seminibus carminativis Carvi, Fœniculi, Anisi, &c. it. Bacc. Juniperi, Lauri, nec non Ficubus, Passulis, Prunis Damasc. Dissolvi vero in iis pro re nata varia purgantium genera queunt, v. g. Electuaria Dia-Carthami, Diaphœnic. Benedict. laxat, ut & addi pulveres aut resinæ purgantes Jalap. Scammon. & similia. Non nulli potione domestica ex cerevisia calida cum Butyro, vel jure carnis pingui & oleo amygd. dulc. haud irritò cum successu utuntur. Quin ut diversis indicationibus satisfiat, componantur Infusa ex specificis, additis purgantibus, ut fiat v. g. Infusum ex Radic. Pœon Galan. Foliis Melissæ, Beton. Chamædr. Rosmar. Cochlear. Chamæpyt. Flor. Lilior. Conval. Anthos. Primul. Veris, Salvizæ, Cortic. Citri, Aurant. &c. addita Rad. Mechoac. Rhabarb., Agoric. &c. interdum quoque fibris hellebori nigri.

## §. XXI.

*Diaphoretica & Diuretica* quoque ex usu esse possunt, si spiritus non tam dissipati sint & deficient quam fixiores redditi, & magis in humidioribus, ex Cephalicis, nervinis, salibus Volatilibus, & aliis specificis, it. Decoctis lignorum. Modò illud semper observetur, ne ad sudores ægri nimium cogantur, imprimis graciliores sic enim nervi magis debilitarentur.

## §. XXII.

*Specificæ* verò in hoc nostro affectu sunt omnia Nervina, Cephalica, Cordialia, Absorbentia & roborantia alia, imprimis Salia, volatilia, Alkalika & Alkalina de quorum modo agendi vid. Willis Pharmacîa p. 27. Sunt verò talia Spiritus Bez. D. Bussii, Salis Ammon. Succinatus potissimùm, Spir. Eboris, C. C. rectificatus & Essentific. Lil. Convall. Cerasor. nigr. Sanguinis Cervi, Liquor C. C. Succinatus, Spir. Theriacal. Camphorat. Fulgin. Formicarum Urinosus compositus, earumque Acidus, Aqua magnaminis. Comp. de qua vid. Exc. D. Sperling. *Præc. hon. Coll. Patb.* Spir. secundinæ humanæ, Vitriol. Cephalic. Salvolat. oleosum, Sal. Volatile C. C. Succini non fixata, Cranii humani, Essent. Succini, Castorei Camphoræ,



I N A U G U R A L I S. 13

phoræ, Elix. Uterin. Croll. Pœon. Tinctur. Lunæ cum sp. Sal. Ammon. parata, Corallor. cum Spir. C. C. parata, oleum camphoræ, Heraclinum, vel quod huic substitui potest oleum Buxi *sec. Ettmul. Prax. p. 284. vid. & Eph. Germ. D. II. A. VI. p. 96.*

§. X X I I I.

Temperiora & fixa sunt; Pulvis Epil. March. Specif. Cephal. Mich. Cinnab. nat. & Antim. Cran. human. Ungula Alcis ppt. Spinæ viperin. ppt. Succin. ppt. C. C. Phil. Ebur sine igne, Unicorn animal. fossil. Perlæ ppt. Mater perlarum, Corall. rubra, Fragment. lap. v. pretios. Crystal. montana, lap. Cancr. Den. Hyppopotam. Antim. Diaphor. Martial. Cacheç. Bezoard. Iovial Castoreum in substant. Extraçt. Castorei &c. Ut & Aqua Epilept. Langii, Ceras. nigr. Flor. Tiliæ. Lil. conval. Pœon. Borrag. Bugloss. Cinnamom. cydon. Diaborragin. Melissæ, Salviæ Herc. Sax. frig. Regin. Hungar. &c.

§. X X I V.

Externe profunt *Linimenta Nervina*, Arthritica ex Spiritibus alkalinis Volatilibus v. g. spir. C. C. Lumbric. terrestr. Formic. Sallis ammon. Urinæ, Aquis Apoplecticis, Aqua articulari ad extra, &c. Item *Unguenta nervina* ex pingued. Castorei, humana, oleo spicæ, salviæ, lavendulæ, Juniperi, Majoran. Petrol. succini, lumbricor. Terrestr. Balsamo Paralytic. Minf. Ungv. nervino, Camphora &c. parata, quæ calore suo referant obstructions nervorum, partes resolutas roborant, & spirituum influxum promovent. vid. aliquot non contemnendæ remediorum externorum formulæ in Libro citat. *Stokhus. p. 121. seqq.* Quod etiam referri possunt Fetus & infusus ex herbis cephalicis & nervinis, cum nido formicarum parati, quomodo contumacem Paralyfin Brachii & pedis ex quotidiano balneo ex formicis earumque nido, ut constans robur partibus redierit, curatam esse, habet *Casatus in Pyrologia p. 310.* Illud saltim circa externa semper observandum ne ante universalium usum adhibeantur, quia alias noxam corpori inducere facile possunt.

§. X X V.

De Contracturis illud addi meretur, eas non nisi Paralyfi sublata remediis auscultare, unde omnibus viribus eò annitendum est, ut Paralyseos curatio ritè instituat, post modum enim si pars contracta iis quæ jam laudata sunt foveatur, sensim sensimque vigor &c



relaxatione ac ad munia perficienda aptitudo redire solet.

§. XXVI.

In *Dieta* omnia ea vitanda sunt, quæ causarum procatarticarum loco allegata fuerunt v.g. Aër fumo metallico imbutus, cibi flatulenti, crassioris succi, potus fervente corpore nimius, &c. Conveniunt verò omnia antiscorbutica, sale volatili prædita, Cibi facilis coctionis, pinguiore, humidiores, aromatibus leviter conditi, cærevisia medicata, imo decocta lignorum Guajaci, Sassafras, Sarsaparill. Rad. Chynæ, &c. cum herbis Cephalicis & nervinis in usum quotidianum trahi possunt *quæ commendata reperies in. Epb. Germ. D. II. A. II. p. 360.* Alvus servetur laxa vel caveatur minimum, ne officium nimis diu negligat. Plura qui de hac & de *Diæta Præservatoria* desiderat *Stokhusium Tract. allegat. de hythargyrii fumo noxio evolnere poterit.*

S. D. G.

